DE
VENENATIONE PER FUNGOS NONNULLA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXIII. M. JANUARII A. MDCCCXLIX
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

ALPHONSUS BARRELET
NEOCOMENSIS.

OPPONENTIBUS:
L. ABEL, MED. ET CHIR. DR.
C. BÉGUIN, MED. ET CHIR. STUD.
C. SCHAUSS, MED. ET CHIR. STUD.

BEROLINI
TYPIS GUSTAVI SCHADE.

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS

AD CINERES

SUMMOPERE COLENDIS

ATQUE

VIRO

DOCTISSIMO, EXPERIENTISSIMO, HUMANISSIMO

CAROLO BOEGER

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO MILITARI
PRIMARIO

FAUTORI BENEVOLO

DE SE SUISQUE MERITISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

„Non multa sunt plantarum genera," scribit de Candolle, „quae ostendant differentias tam numerosas, quae principio analogiae adeo contradicant, quam fungi. Invenimus maxime virulenta genera cum aliis, quae gratissimum cibum praebent, et cum aliis quorum proprietates admodum speciales nos latent."

Quisque novit quam difficile sit, esculentos et venenosos fungos distinguere. Nullum botanici habent criterium, quo sanos a noxiis discernere possint, criterium solum est sapor. Nam omnes fungi venenosi acres vel amari vel praecipue ingrati sunt, esculenti contra dulcis saporis, putidus quoque odor nonnullos fungos venenosos indicat et omnes esculenti nervum olfactorium jucunde afficiunt; attamen sunt venenosae species, gustu non distinguendae, quibusdam fractis fit superficies coerulea vel cinerea; cepae adduntur aliquando

inter coctionem fungorum, credunt nempi nonnulli cepas nigras fieri, si venenosae species sint, haec via tamen non semper certa est, ut Schrader multis experientiis demonstravit. Omnes fungi brevi tempore marcescentes et putrescentes perfidi sunt et inter venenosos numerandi. Fungi in locis humidis et sub umbra crescentes, id est, in densis silvis, solis radiis non collustratis, periculosi sunt, istorum fungorum substantia mollior est, minus dura, porosior, et partes liquidae multae insunt, foedum aspectum atque sordidam humidamque superficiem praebent. Veneficia plura per fungos plerumque esculentos, sed sub umbra et in locis humidis natos, solis splendorem et calorem fungorum proprietatibus magni esse momenti demonstrant, exempli gratia, casus ejusmodi in Schmidt's Jahrbücher der in- und ausländischen Medizin narratur, quo adolescens quidam inter symptomata venenationis mortuus est, qui morchellas tali loco natas commederat. Diu credebant, siccatis fungis venenum deesse; certe de aliquot speciebus hoc non valet, quum agarico piperato L. (Pfefferschwamm) siccato, multi sublati sint.

Fungorum familia genera LXX et minimum species MD complectitur, pauci tamen esculenti sunt, quorum sequentes proponuntur a Persoon:

I. *Agaricus* (Blätterschwamm, Täubling, Bläuling, Fliegenschwamm). Pileus cum superficie

coriacea, cujus stipes persaepe ad perpendiculum exactus est, et ad cujus faciem inferiorem, ex extremitate stipitis superiore, laminae simplices, radiatae et divergentes adsunt.

II. *Merulius* (Faltenschwamm, Rehling, Pfifferling). Pileus solidus et carnosus, ad cujus faciem inferiorem multi nervi seu plicae ramosi obtusique.

III. *Boletus* (Löcherschwamm, Pilzling, Schwämmerling, Hirschzunge, Weidenschwamm etc.), ad superficiem inferiorem pilei densata foramina seu tubuli.

IV. *Hydnum* (Stachelschwamm), ad superficiem inferiorem pilei subulati aculei vel fibrae.

V. *Helvella* (Faltenschwamm, Stockmorchel). Pileus coriaceus, confuse plicatus sinuosusque.

VI. *Clavaria* (Keulschwamm, Händling) massa oblonga, partita seu inpartita, ramosa, cuneata, cujus textura carnosa vel suberea vel gelatinosa.

VII. *Morchella* (Morchel). Pileus oblongus, rotundus, cellulosus.

VIII. Tuber (Trüffel). Fungus globosus subterraneus.

Alia genera non edulia sunt, utpote nimis parva ephemeraque, quod plerisque accidit, et quia eorum textura magis coriacea duraque est, quod de plerisque fungis ad arborum corticem crescentibus dicendum est, demumque quia putidi insuavesque sunt, exempli gratia Lycoperdon (Staubschwamm), quod ex ro-

tundo membranaceoque corpore constat quodque maturum viridi pulvere impletur.

Genera „Merulius", „Hydnum", „Helvella", „Clavaria", „Morchella", „Tuber" nullas venenosas species continere videntur, apud sola genera „Agaricus" et „Boletus" anomaliae inveniuntur.

Secundum hactenus factas chemicas analyses constant fungi ex cholestearino pinguedine, albumine, materia saccharata, in spiritu vini insolubili animali substantia, Kali acetico, fungino etc., quam invenit nominavitque Bracconot (Bracconot: Mémoire de la fongine ou l'analyse des champignons, dans le Journal de physique, de chimie et d'histoire naturelle de la Méthérie. Tome LXXII Paris 1811) quamque omnes fungorum notae species continent, ex quo concludendum est, eam basin universalem fungorum esse. Ad hanc diem principium venenosum non inventum est, quod Chansarel ponit in gelatina, quae fungorum tam venenosorum quam esculentorum pars magna est. Haec sunt illius illustrissimi auctoris experimenta.

I. Canes, venenosis fungis comestis, certissime pereunt.

II. Fungis venenosis concisis, et ex aqua coctis vel maceratis, donec aqua saporem amiserit, posteaque medulla expressa canibusque oblata, mors non irruit. Quod probat, venenum nec in fibris nec in partibus carnosis fungorum inesse.

IV. Si succum venenosorum fungorum expresseris et canibus praebueris, breviore tempore et cum majoribus cruciatibus peribunt, quam experimento superiore; quod probat, venenum succo contineri et solubile esse.

V. Si hunc succum coxeris, ut albumen amoveatur, si filtraveris canibusque praebueris, inter terribilia tormenta peribunt; quod probat, venenum in albumine non contineri, sed in succo solutum esse.

VI. Misceas succum cum decocto vel infuso gallarum turcicarum vel substantiae cujusdam tanninum continentis, desque canibus hanc mixturam, eosque nullo modo affici videbis, possidet igitur venenum gelatina, quam hoc experimento tanninum decomposuit.

VII. Filtres hanc mixturam canibusque praebeas tam partes fluidas quam medullam, ne tum quidem ullo modo afficientur, igitur lethale principium venenosorum fungorum in gelatina sedem certe habet. Sed, ut supra diximus, fungi esculenti eandem quantitatem gelatinae continent, quam venenosi, itaque reliquum pensum est: cur gelatina eadem in aliis venenosa, in aliis esculenta sit, demonstrare.

SYMPTOMATOLOGIA.

De more post horas V—VII, rarissime post horas XII—XVI—XXIV, fungis venenosis comestis se manifestant prima symptomata: ventriculi dolores et tormina ventris, vomituritiones, excretiones per os et per anum; mox ardor intestinorum, lassitudo et cruciatus accrescunt et persistunt, spasmus tum universalis, tum specialis, sitisque sequitur inexplebilis; pulsus parvus, durus, contractus, frequentissimus. — Symptomatibus, post aliquod tempus, per actionem medicamentorum non decrescentibus, aegroti alii deliriis mussitantibus et sopore opprimuntur, quorum intermissiones ex doloribus convulsionibusque oriuntur et quorum exitus mors est; alii contra somno soluti, quorum cruciatus convulsionesque vires debilitant, deliquio sudoreque frigido tentantur; dolorum terminus mors est, quam aegroti, usque ad finem sui conscii, praevident praesagiuntque. — Minus violenta actio est parvarum portionum, praecipue apud homines veneno assuetos. Kamtschadales vero aliaeque nationes Asiae septentrionalis proprietatem menti ebrietatem afferentem Agarici muscarii L. (Fliegenschwamm) in usum convertunt, ad rationem exstinguendam et ad audaciam evehendam. Duobus vel tribus agaricis

crudis comestis vel in infuso aut decocto haustis, ebrii fiunt homines; semiferi, huic potui assuefacti, alacres insanique fiunt, post haec alto sopore premuntur, quo excutiuntur facie tumefacta, capite gravato et lassitudine per membra diffusa; usu frequente hujus potus stolidi hebetesque fiunt (Georgi's Beschreibung aller Nationen des russischen Reiches).

PROGNOSIS.

Naturali modo vertitur prognosis in praeterito tempore post fungos comestos, si medicus enim tempestive venerit, et resorptio nondum facta fuerit, promptam evacuationem fungorum, vomitivis et laxantibus clysmatibus datis, actio veneni secuta non est. Sed hic casus plerumque non incidit, medicus enim nimis sero advocatur, resorptioque ex parte jam facta est, si apta remedia praebentur. Si medicus opportune accedit, bona est prognosis, sin minus, multo pejor, exempla tamen completae sanationis plurima exstant.

THERAPIA.

Si post fungos venenosos comestos temporis spatium magnum non praeteriit et partes nondum digestae sunt, ut omnia venena, vomitoriis et copiosis clysmatibus amovendae sunt, simul partium jam digestarum actio exstinguenda, Chansareli experimentis respectis.

Solum tanninum antidotum nominandum, acetum vini in quoque veneficii stadio arcendum est, nam, si illud gelatinam, quae venenosum principium est vel saltem capit, non praecipitat, si contra, haec est Orfilae opinio, gelatinam solvit, timendum est, ne hoc remedio actio principii venenosi promptior violentiorque fiat, ex eadem causa remedia sequentia sunt rejicienda: succus citri, omniaque acida, aether, qui quoque gelatinam solvit, tartarus stibiatus, nisi ad vomitum provocandum.

Praescribatur:

Decoct. Gall. turcic. (ex ℥j) ℔j
D. s. quavis hora scutell. xij

vel tanninum ipsum, quod rapidius solvitur et saporem meliorem praebet:

Tannini gr. xv—xxx
Solve in Aq. commun. ℔j
D. s. quavis hora scutell. xij.

Cortex chinae omnesque tanninum continentes cortices non rejiciendi sunt.

NECROSCOPIA.

Comparatis phaenomenis in cadaveribus per fungos venenatorum, constantissime observantur: maculae valde latae numerosaeque in cute, venter tensus tumidusque, membrana conjunctiva bulbi palpebrarumque sanguine infarcta, pupilla contracta, ventriculus et intestina inflammata maculisque gangraenosis obsita, aliquae etiam partes membranarum gangraena perforatae, ventriculus intestinaque tam contracta, ut canalis intestinalis membranis densatis et tumefactis obstructus sit, oesophagus inflammatus, imo gangraenosus. In intestinis excrementa rarissime adsunt, fungorum reliquiae nunquam observatae sunt, fungis plane digestis et excretis.

Pulmones inflammati et sanguine nigro repleti, eodem venae organorum cavi abdominis, hepatis, lienis mesenteriique redundantes, maculae inflammatoriae et gangraenosae in velamentis cerebri, parietibus ventriculorum ejusdem organi, pleura costarum pulmonumque, diaphragmate, mesenterio, vesica urinaria, utero, imo etiam foetu gravidarum, in quibus sanguis post veneficium per fungos plerumque coagulatus, liquidus reperitur.

Ex phaenomenis apud aegrotos et cadavera obviis, fungorum venenosorum actionem eandem esse quam medicamentorum narcoticorum acrium, con-

cludere licet. Prima symptomata in canali intestinali se manifestant, membrana mucosa irritatur inflammaturque; irritatio inflammatioque membranae mucosae ad telam cellulosam submucosam demumque ad telam serosam transeunt, quae etiam gangraenosae fiunt; apud aegrotos vomituritiones, vomitus, diarrhoeae, cruciatus abdominis et epigastrii, lingua sicca laevisque, sitis ardens, oriuntur. Symptomata secundaria serius, post resorptionem veneni, in partibus centralibus et peripherio systematis nervorum se manifestant, dolores vehementes capitis, deliria mussitantia vel furibunda, hallucinationes, anxietas, spasmi convulsionesque, sensibilitas maxima omnium corporis partium, ex quibus, fibras nervorum tam motorias quam sensibiles affectas esse, patet.

CASUS VENENATIONIS PER FUNGOS AB AUCTORE OBSERVATUS.

Carolus Stammer, faber scriniarius, XLIII annos natus, corpore valido robustoque, ut sodales hodie aegrotusque ipse convalescens seriore tempore narrant, die XIV mensis Augusti anni h. s. XLVIII meridiano tempore quantitatem non exiguam tostorum fungorum comedit, vulgo Pfeffer-

linge nominatis similium (Agaricus piperatus L. Agaricus Russula foetens Persoon. Pfefferschwamm); amico teste epilepticus prius fuit aegrotus. Hora II post meridiem se manifestaverant prima veneficii symptomata: nausea, cruciatus ventris, vomituritiones, evacuatio aliquot comestorum fungorum per os; phaenomenis violentioribus factis, solutio salis culinaris data erat, nihilominus stupor, convulsiones, extremitates frigidae accesserunt. In hoc statu mentis impos ad nosocomium Caritatis hora ixβ post meridiem delatus, in clinicum illustrissimi Schoenlein recipitur aegrotus.

Status praesens:

Stupor, pulsus parvus, contractus, LXXXIV ictuum, extremitates frigidae, facies coerulea, oculi prominentes errantesque, pupillae dilatatae, iris immobilis, membra rigida, interdum spasmi musculorum, quorum fasciculorum tremor constantior, trismus, stridor violentus, sublevato aegroto excretio intravit per os fungorum residuorum, quae tamen signa ad speciem determinandam nil valebant, excretio urinae involuntaria insciaque.

Praescribitur:

Sol. Zinci sulphurici (℈j) ℥ij
D. S. Quovis horae quadrante cochlear. maj. ij.

Hoc medicamentum secutae sunt vomituritiones, vomitus tamen nullus. Tunc infusi coffeae scutella 1 ex ℥β parata magno labore aegroto inditur, qui,

aliquo tempore praeterito, massas liquidas flavas vomuit; praeterea sinaspismi ad suras nuchamque.

Interdum elevatur pulsus, plenior, frequentiorque fit (C ictuum), extremitates paululum calidiores.

Praescribuntur:

Sol. Tannini (3β) ℔j

D. S. ¼ Hor. scutella.

Hirudin. medicin. XV ad frontem.

Epithemata frigida ad caput.

Aegrotus dolores significat circa nucham ex sinapismi actione, eodem modo ex pressione, in suris tamen sinapismi actio nulla fuerat, musculorum spasmi permanent, interdum violenti spasmi clonici universales, imo opisthotonus, motus impetuosus extremitatum; extensis antibranchiis plerumque recto angulo contractis, spasmi in musculis brachii et scapulae valde se manifestant, eodem modo in musculis gastrocnemiis etc. suris pressis. Interdum praebentur infus. Coffeae et solutio Tannini. *Hora II ante meridiem;* usque ad hoc tempus vita major observatur, extremitates calidiores, aegrotus plerumque non inquietus cubat; interdum tamen rapide per vices contrahitur et extenditur antibrachium sinistrum, vel ad superiores partes moventur ambo brachia. Frictiones ad sanguinem a capite ad suras deducendum dolores maximos afferunt, clamat aegrotus, dentibus frendit et iracundia incensus esse videtur. Pupillae normales; per noctem, clysmatibus aum aceto vini applicatis, plures secessus in-

scii, liquidi, viridi nigricantes, maximeque putidi. Medicamentis oblatis inquietus fit aegrotus, clamoremque tollit infestus.

D. XV. Augusti. Hora VII ante meridiem. Extremitates denuo frigidiores, apathia maxima, pupillae valde dilatatae, suris compressis sensibilitas magna; pulsus C ictuum, modice plenus.

Praescribuntur:

Epithemata frigida ad caput.

Liquor. ammonii caustici ʒij

S. externe naribus admovendus.

Cucurbitul. cruent. XIV ad columnn. Vertebrar.

Superfusiones frigidae.

Clysmata cum aceto vini.

Lac vaccinum. Inf. Coffeae.

Sol. tannini (gr. xv) ℔j

D. S. ¼ Hor. scutell.

Post meridiem stupor minor, medicamenta facilius hauriuntur.

Praescribuntur:

Hirud. medicin. XX pone aures collocandae.

Spirit. aetherei ℥β

D. S. quavis hora gtt. xx.

Clysma cum aceto vini.

Plures secessus liquidi, virides, putidi; vomitus nullus, sed ructus multi. — Spasmi musculorum plerumque minimi, interdum tremor artuum, stridor rarus; exclamationes variae fiunt quiete aegroti perturbata, praecipue pressione adhibita ad suras; post

cucurbitulas cruentas ad dorsum admotas opisthotonus rarior, minimeque violentus; pupillae minus contractae, pulsus LXXXIV ictuum.

D. XVI. Augusti. Aegroti sensibilitas minor facta est, reactio tamen aliqua post pressionem surarum, ventris praecipueque scrobiculi cordis; pupillae normales, iris valde mobilis irritabilisque, plures secessus inscii virides, contractis antibrachiis extensis spasmus minus violentus. Pulsus parvus, debilis, LXXX ictuum, respiratio profunda, lenta liberaque, maxilla inferior ad superiorem valde attracta, interdum distorsiones musculorum faciei, cutis calida, facies rubra. Dum lectus sternitur, sublevaturque aegrotus, resistit clamatque, vires tamen mox desunt, pallescitque sudore frigido obtectus.

Praescribuntur:

Superfus. frigidae

Lac vaccinum et Infus. Coffeae per vices.

Epithemata frigida ad caput.

Frictiones e Sol. olei Sinapeos in spiritu Vini ad suras instituuntur fomentaque ex eadem ad scrobiculum cordis.

Hora IX ante meridiem os facile aperitur, lingua pura, humida, aegrotus sui conscius, expectoratio nonnulla, pedes, usque ad hoc tempus frigidi, calidi, manus, hesterno die matutino calidae, hesterno vespere usque ad cubitum frigidae, hodie denuo calidae, aeque ut aliae corporis partes.

Hora IX ß ante meridiem. Sublevationi resistit exclamatque aegrotus, erectus non corruit, sed corpus incurvat oblique ad anteriorem partem, et se in orbem torquet ad laevam ab axi se convertente, interdum demissio corporis major fit; collocationi in feretrum repugnat aegrotus, corpus humi sternit, denuo erectus corpus incurvat et secessum liquidum, viridem foetidumque experitur, in quo fibrae carnosae membrisque praedita fila (haud dubie fungorum comestorum residua) microscopio observantur. — Inter superfusiones frigidas initio inquietus est aegrotus clamatque, postea quietus. Pulsus LXXXVIII ictuum.

Praescribitur:

Solut. Magnes. sulphur. (℥j) ℨvj.
Mixtur. Sulphur. acid. ℨj.
Sol. Liquir. ℥ß.

D. S. bihorio cochlear majus.

Hora XI ß post meridiem. Plures vomitiones virides, foetidae, secessus ejusdem generis; postea sui magis conscius fit aegrotus, clara voce multa loquitur; pulsus LXXX ictuum. — Post superfusionem frigidam tristis morosusque fit, domicilium actuale nondum novit, imbecillitatem suam deplorat, etsi vires non desint, pressis suris sensibilitas magna, coecitas completa, organum auditus contra normale, omnes enim strepitus percipere videtur, hallucinationes tamen adsunt, quum saepe cum hominibus alienis loquatur; interdum spasmi, tremorque cor-

poris partium dextrarum; tunc dolores universales praecipue ad suras collumque significat, deinde videt aegrotus et oculis rem persequi videtur, quae gaudium suum excitat, quamque statim post ignorat.

Praescribitur

Solut. olei Sinapeos (gtt. xxiv) ℥ ij

S. Frictiones.

D. XVII Augusti. Valde inquietus per noctem fuit aegrotus, haud dubie hallucinationibus concitatus saepe clara voce clamavit, praecipue de familia domoque locutus est, interdum debilitatem suam deploravit, plures secessus inscii, virides, liquidi, foetidi intraverunt.

Hora IX ante meridiem. Status idem, qui per noctem, pulsus XCII ictuum, organum auditus normale, — visus aliquanto melior, exempli gratia manum horologiumque, etsi difficulter, agnoscit aegrotus; modo hilaris, modo tristis, hallucinationes auditus visusque adesse videntur. — Spasmi musculorum nonnulli in extremitatibus plerumque per vices vel sinistris vel dextris; eodem tempore dolores violentos artuum ossiumque significat, mortis angoribus dyspnoeaque cruciatur. — Sui conscientia nondum adest, domicilio actuali jam saepe ab assistentibus nominato, ad nosocomium Caritatis deportari inquietus cupit aegrotus. — Pupillae aliquantum dilatatae, iris mobilis. — Auxilio custodis, cui per ignorantiam resistit aegrotus, lavatum abit. — Post superfusionem frigidam sui conscientia major, re-

sponsa rationis plena; interdum hallucinationes denuo adsunt, animalia parva in corporis superficie videt, quae exactius describere nequit, quibusque anxius redditur; ex inquiete sudores partiales per vices capitis corporisque.

Hora V post meridiem. Pulsus CVIII ictuum, status paene idem, sui conscientia paululum major, visus melior, typos maximos legere potest aegrotus. Interdum hallucinationes, animalia super corpus repentia seque inquietum facientia videt, vel homines circumstantes visu audituque percipit, cum quibus clara voce loquitur. Tunc tremor artuum, anxietas maxima, huc atque illuc sese jactat, auxilium clara voce petit aegrotus, respiratio justo citior frequentiorque, palpitationes cordis, sudor universalis largusque praecipue capitis; ante horam V cutem frigidam coeruleamque per accessum hujus generis factam esse dicunt, nunc cutis calor colorque normales. — Secessus nullus, normaliter tincta, clara acidaque urina.

Praescribitur

Superfusio frigida.

D. XVIII Augusti. Per noctem aegrotus quietior fuit, animalia non amplius vidit, hallucinationes tamen aliae adsunt. — Pulsus CIV ictuum, urina turbida, saturata acidaque, pupillae paulo dilatatae, iris mobilis, facies rubra. Ex hallucinationibus anxietas magna, interdum tamen hilaritas.

Praescribuntur:

Epithemata frigida ad caput.
Superfusio frigida.

Hora IV β post meridiem, per superfusionem anxietas nulla, eodem modo usque ad horam III post meridiem, ex hoc tempore tamen hallucinationes, ex quibus inquies magna; respiratio justo frequentior, urina saturata, clara acidaque, ligna munda, paene sicca, sitis maxima, pulsus CXXXII ictuum.

Praescribuntur:

Clysma cum oleo Ricini.
Hirudin. medicin. XII ad frontem.
Morphii acetici gr. $^1/_4$.
Sacchari gr. X.

Doses ij. S. si dosin primam effectus non sequatur, post horas quatuor dosis secunda detur.

Hora VI post meridiem. Anxius, ira incensus perpetuo loquitur aegrotus.

D. XIX Augusti. Per noctem somnus nullus, per intervalla furit aegrotus; pulsus XC ictuum, tremor artuum nullus, pupillae contractae, lingua humida paeneque pura, sudor universalis continuusque, urina aliquantum saturata, clara acidaque, pressione epigastrii dolor. Debilitatem suam deplorat aegrotus, quae ex sermonibus motibusque patet, conscientia morbi et alienationis mentis adest.

Praescribuntur:

Superfusio frigida.

Morphii acetici gr. 1/4.

Sacchari gr. X.

Dos. I.

S. effectu nullo, post horas IV.

Morphii acetici gr. 1/3.

Sacchari gr. X

praebeatur.

Hora IV β post meridiem. In balneo quietus fuit aegrotus, gran. 7/12 Morphii acetici datis per horam 1 1/4 dormivit, somno excitatus inquietem minorem sentit, multo loquitur, voce tamen minus clara; imbecillitas non parva, sudor continuus, copiosusque, hallucinationes. Cura eadem.

D. XX Augusti hor. VIII ante meridiem. Per noctem non inquietus fuit aegrotus, sudores largi, secessus tres liquidi, faeculenti, foetidi; morphii acetici gr. 1/3 oblato jam hor. 3/4 dormit, somno solutus magis sui conscius, domicilium actuale novit, custodem inclamat, si re aliqua caret aegrotus. Pupillae normales, iris mobilis, pulsus LXXX ictuum.

Praescribitur:

Superfusio frigida.

Hora IV β post meridiem. Somnus fere continuus; somno excitatus sui conscientia aucta; secessus duo fusci pultiformes, lingua humida, muco albo valde oblita, ventre presso dolor, pulsus LXXX

ictuum, sudores continui. Hallucinationes aliquae, quarum tamen aeger conscius est. Opinatur aegrotus, se ante dies tres infantem occidisse eaque de causa supplicio capitis damnatum esse.

Praescribuntur:

Superfusio frigida.
Morphii acetici gr. 1/3.
Sacchari gr. X.

D. XXI Augusti. Somnus quietus, secessus duo, liquidi, fuscovirides, debilitas magna, pressione ventris dolores, lingua humida, mucoque fusco inquinata, pulsus LXXX ictuum, phantasmata.

Hora IV β post meridiem. Secessus fuscoflavus, imbecillitas non minor, dolores universales, anxietas, sensibilitas abdominis eadem, pulsus LXXX ictuum.

Praescribuntur:

Superfusio frigida.
Morphii acetici gr. 1/3.
Sacchari gr. X.

D. XXII Augusti. Per noctem non multum dormivit aegrotus, sui tamen magis conscius, sed opinio sceleris poenaeque metus adhuc adest, cruciatus ventris, dyspnoea; urina clara, pulsus LXXX ictuum, secessus faeculentus.

Post meridiem. Tussis modica, expectoratio aliqua, sputa glutinosa paululumque rubiginosa. Ad faciem internam cubiti sinistri pseudoerysipelas am-

plitudine palmae manus, haud dubie ex ictu quodam; dolores violenti universales; urina saturata, secessus tres normales.

Praescribuntur:

Cataplasmata ad cubitum.
Trae Cannabis indicae gtt. XX.

D. XXIII Augusti. Morbi sui conscientia perfecta aegrotus gaudet, clericum vehementer flagitat; somnus nullus, urina copiosa, paulo acida cum sedimento multo, secessus duo normales, pulsus LXXX ictuum.

Praescribitur:

Superfusio frigida.

D. XXIV Augusti. Ante mediam noctem somni quidquam, sui conscientia aucta.

Incisio abscessus ad cubitum.
Cura eadem.

D. XXV Augusti. Per noctem somnus, somnia tamen multa. Pulsus LXXII ictuum, secessus liquidus faeculentusque, lingua muco albo obducta.

Post meridiem. Secessus idem; dolores capitis, scintillationes oculorum, dolor ardens abdominis, sensatio ventris decidentis.

Praescribitur:

Balneum cum superfus. frigid.

D. XXVI Augusti. Scintillationes oculorum nullae, dolores universales, in abdomine violentissimi. Secessus normalis. Literas minimas legere potest aegrotus, organum visus tamen aciem pristinam nondum recepit.

D. XXVII Augusti. Secessus liquidus faeculentusque, furunculi innumeri magnitudinis fabae vel nucis juglandis per totum corpus, praecipue in scapula dextra regioneque sacra, quorum dolores aegroto somnum auferunt, somnia vehementia.

Praescribuntur:

Specier. ad Decoct. Lignor. ℥vj.
D. S. ter per diem scutella.
Balneum.

D. XXIX Augusti. Status idem, furunculi augentur.

D. I. Septembris. Anxietas magna, sui tamen conscientia completa, somni aliquid, urina copiosa.

Sensim evanuit furunculosis, quae fausta crisis fuisse videtur, quum anxietas hallucinationesque pedetentim cesserint, vires creverint, visus aciem pristinam recuperaverit, quieteque dormiverit aegrotus, ita ut nosocomium medio mense Septembri sanatus reliquerit.

VITA.

Natus sum, Alphonsus Barrelet, fidei evangelicae addictus, Bevaix, Helvetiae pago, die XIX mensis Novembris a. h. s. XXV, patre Jacobo Alexandro, verbi divini ministro, matre Caecilia, e gente de Gélieu, quos Deus optimus maximus salvos mihi servavit, servetque in posterum. Primis litterarum elementis disciplinisque sublimioribus in gymnasio et academia Neocomensi per tredecim annos operam navavi.

Quibus absolutis, maturitatis testimonio instructus mense Octobri anni MDCCCXLIV civibus instituti medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani adscriptus sum et per quadriennium hisce interfui Illustrissimorum et Celeberrimorum virorum lectionibus:

Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia medica, de Celsi et Hippocratis libris, de pathologia generali, de historia medicinae;

Ill. Mitscherlich sen. de chemia organica et anorganica et pharmacia;

Ill. Link de botanice, de historia naturali, de plantis cryptogamis;

Cel. Beneke de psychologia;

Cel. Werder de logice;

Cel. Preuſs de historia;

Beat. Turte de physice;

Ill. Lichtenstein de zoologia;

Ill. Weiſs de mineralogia;

Ill. Schlemm de osteologia, de syndesmologia, de splanchnologia, de anatomia organorum sensuum;

Ill. Mueller de anatomia universa, pathologica, comparata, de physiologia;

Beat. Eck de physiologia, de semiotice, de therapia generali, de morbis contagiosis, de morbis simulatis et dissimulatis;

Ill. Mitscherlich jun. de materia medica;

Ill. Schoenlein et Ill. Romberg de pathologia et therapia speciali;

Beat. Horn de morbis psychicis;

Ill. Juengken de chirurgia speciali;

Ill. Casper de arte formulas medicas rite concinnandi, de medicina forensi;

Cel. Troschel de ossibus fractis et luxatis, de arte fascias rite imponendi;

Cel. Boehm de aciurgia;

Ill. Schmidt de arte obstetricia;

Cel. Lauer de syphilide.

Practicis exercitationibus me admiserunt:

Ill. Mueller et Schlemm arti cadavera rite secandi;

Cel. Troschel arti fascias rite imponendi;

Cel. Boehm operationibus chirurgicis;

Exp. Angelstein operationibus ophthalmicis.

Clinicis medicis Ill. Schoenlein et Cel. Wolff, chirurgicis et ophthalmiatricis Ill. Juengken, Beat. Dieffenbach et Exp. Angelstein interfui, nec non exercitationibus obstetriciis Ill. Schmidt.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, quam maximas possum ago semperque habebo gratias.

Per ultimum semestre in Regio Caritatis nosocomio munere medici inferioris functus sum et adhuc fungor.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec minus examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores mihi rite tribuantur.

THESES.

1. Herniarum non incarceratarum operatio radicalis omnino rejicienda.
2. Syphilidis formae quaedam mercurio sanari non possunt.
3. Morborum mentis curatio somatica, praesertim gymnica, maxime efficax.
4. Quos ratio non curavit, saepe curavit temeritas.
5. Albuminuria non morbi Brightii solius, sed diversorum morborum signum est.
6. Quies post coenam magis prodest, quam motus.